
BIBLIOTECA COMUNALĂ OLENIA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

C 34.3.4

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

LODOICI VASSAEI CATALAVNENSIS, IN ANATOMEN CORPORIS HVMANI TABVLAE QVATVOR,

Nunc denuò accuratiùs recognitæ, unà cum copiosissimo, qui anteà non erat,

INDICE.



BIBLIOTECA COMUNALE ENNA

VENETIIS.

Ex officina ERASMIANA apud Vincentium Vaugris prope horologium Diui Marci.

M. D. XLIIII.

AD D. NICOLAVM LANISSON, PONtificij iuris peritiſsimum, Canonicum, & Theſaurarium eccleſiæ Catalaunenſis, Vicarium Cardinalis à Lenoncuria, Lodoici Vaſſæi Catalaunenſis epigrãma, ut libellũ offerat.

Pauliſper magnis animum ſubducere curis
Si licet, & facilem te mihi fortè dare:
Si licet, aſtringes firmis mea pectora uinclis,
Me que libens dedam tempus in omne tibi.
Et facies: animi candor mihi lacteus ille
Cognitus, & cunctis gratia nota tua eſt.
Hoc cupio, quoniam meá ſunt mihi nota, nec audet
Res nihili ad tanti principis ire pedes,
Qui ſolet arcanos animi tibi credere ſenſus,
Qui merito tribuit plurima iure tibi:
Vt noſtrum iſtud opus, licet illaudabile, laudes.
Si laudas, nulla laude carere poteſt.
Offer ei, laudá que precor, ſi fortè ſeuerus
Damnarit, dices, mens bona dantis erat.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

R. D. D. Roberto CARD. A LENONCVRIA TIT. SANCTAE ANAstaſiæ, Epiſcopo, Comiti Catalaunenſi, Pari FRANCIAE, Lodoicus Vaſſæus Catalaunenſis. S. P. D.

CVM ſæpenumero mecum perpenderem, Cardinalis ampliſſime, in tanta literatorum multitudine, per paucos reperiri poſſe, qui ſtudiorum ſuorum fructus proferre poſsint: animaduerti huius rei unam potiſsimùm cauſam eſſe, quod ſtudiorum, & uitæ certum genus aut nunquàm, aut non ſatis tempeſtiuè ſibi conſtituant. Etenim plerique puerorum more ſine ſcopo iaculantes, huc atque illuc aberrant: alij per amœna diſciplinarum loca ueluti ſpatiantes, quæ ad uoluptatẽ faciunt conſectantes ſolùm, quaſi ad Lotophagos delapſi, quæ ad uſum, & dignitatem ſpectãt, nunquàm aut admodùm remiſſè perſequuntur. Quæ res quàm magnum reipublicæ detrimentum afferat, quis non uidet? Quamobrẽ ad uitam benè ac beatè peragendam, nihil aptius eſſe ſemper exiſtimaui, quàm uiuendi genus, & ſtudij certã rationem,

cęteris utilem, mihi non ingloriã, ad quam cę-
tera omnia referantur, mihi proponerẽ. Quod
ut commodè fieri posset, liberalium artium, &
linguæ utriusque cognitionem, mediocrem sal
tem, comparandam priùs esse putaui. Nec hoc
contentus (ne fortè uana de me opinio fal-
leret) ingenij mei uires periclitari uolui, eas
artes docendo, quas ego didicisse arbitrabar.
Quod cùm nõ omninò infœliciter succesisset
eam mihi artem delegi, in qua nõ pedem tan-
tùm, ut aiunt, sed mentem, & cogitationem o-
mnem figerem, quæ tum ad benè merendum
de quouis hominum genere, tum ad uitæ tran
quillitatem, tum ad nominis laudẽ plurimùm
momenti inter cæteras artes habere uidetur.
Quid enim ad uitam salubrius, ad famam no-
bilius, ad suauitatem iucundius, quàm meden
di ratio, & disciplinæ: cuius beneficio immor-
tali rerum naturam, & causas cognoscimus, si-
gna deprehendimus, euentaque multò antè
prospicimus, sanitatem conseruamus, morbos
denique profligamus, ac animam penè è cor-
pore fugientem retinemus? Causas rerum nos
se, futura præsagire, plusquàm hominis est: ui-
tam uerò conseruare, atq; adeò restituere, dei
planè munus existimandum. Huius autem di-
sciplinæ tam excellentis cùm plures sint par-
tes, in quibus omnibus medico futuro diligen
ter est elaborandum, una tamen inter cæteras
præci-

præcipua mihi uidetur esse anatome. citra cuius absolutam cognitionem, frustrà aut sanitatem tueri, aut morbos profligare contendis. Quid enim medico magis necessarium, quàm singularum partium substantiam, magnitudinem, numerum, figuram, situm, & usum cognoscere? Quorum imperitia, aut secto neruo, aut musculo, aut arteria, membri quod curandum est, sensum, nonnunquàm motum, sæpe utrunque aboleri contingit, & quod maius est, sæpissime mors repentina sequitur, infinitaque pro pemodum accidunt, quæ recensere longũ esset. Ab hac ad cæteras medicinæ partes progressus, cùm in eis pro ingenij nostri tenuitate uersatus essem, ac de singulis commentarios mihi priuatim confeciſſem, ut esset ueluti memoriæ subsidium: ad eandem redire statui, repetiturus exactiùs quæ ueluti in aceruũ à me congesta fuerant, & quasi nouum studiorũ initium facturus. Ordinem ergo qui maximè necessarius est in formandis studijs sequutus anatomen primùm, quæ fusissimè à Galeno tracta ta est, in tabellas cõieci, idem in alijs, cùm per ocium licebit, tentaturus. Quæ cùm in amicorum manus fortè peruenissent, ijque pro gratia, & authoritate, qua ualent apud me, uehementer cõtenderent, ut opus in priuatos usus comparatum, publicè studiosis medicinæ aliquid profuturum non premerem, sed benignè

ac candidè impertirem: coactus sum tandem dare manus, & uictus precibus eorum cedere, tum ut amici, tum ut uri boni apud eos existimationem conseruarem. Ancipitem ergo iudiciorum aleam subiturus, solicitè quærebam magnum aliquem, & excellentem uirum, cuius patrocinio, & tutela tectus noster libellus, ut Teucer ille sub Aiacis clypeo, maleuolorũ calumnias paruifaceret, & in studiosorum manus gratior accederet. Inter cæteros autem excellẽtes uiros, quos Gallia plurimos habet, primus occurristi, ornatissime Cardinalis, cuius auspicijs hæ nostræ lucubrationes in publicum ederentur. Tanta est enim apud omnes nominis tui claritas, ut rebus etiam obscuris lucẽ adferre possit. Quàm celebre sit, & splendidũ nomẽ Cardinalis à Lenoncuria apud magnos principes, & in aula Gallica, nemo nescit, nisi rerum quæ geruntur planè rudis, & ignarus. Quàm charus sis FRANCISCO Valesio regũ, qui fuerunt, potentissimo sapientissimoq;, quis est, qui non nouit? Tot certè, & tanti momenti negotia de totius regni administratione nunquàm mãdaturus erat Rex sapientissimus, nisi singularem tuam prudentiam, fidemque in gubernanda republica perspectam, atque exploratam haberet. Tanto autem principi, & tam exactè de ingenijs iudicãti placuisse, laus est mehercle inter præcipuas reponenda. Iam

uerò